



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Rationes secundæ, & tertiæ conclusionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

quorum motiva etsi imprudentia, & levissima ad summum probabilia inclinant intellectum ad iudicium imprudens, & hæresim) ergo est possibilis assensus partis B; nam imphæat inclinatio naturalis ad terminum non possibilem, ut patet ex Phisicâ, & ex Theologia; possibilitas enim vitiosis beatificæ à S. Thoma deducitur ex inclinatione naturalis. Si non urget; ergo nec datur similitudo probabilitatis, quam tamen M. Mercor. & Philal. admittunt; nec datur iudicium temerarium, nec hæresis intellectualis. Nec dicas ex simultaneâ inclinatione probari simultaneum assensum utriusque contradictorij; contra enim est, quia aliud est, quod utrumque simul inclinât, & moveat ad alterutrum assensum seorsim, quod verum est; aliud, quod simul inclinât, & moveat ad utrumque simul, quod falsum est. Confirmo 3. quia medium probabile, stante opposito probabiliori, habet suam verosimilitudinem gravem; ergo generare potest opinionem.

Probatur 5. quia quotquot è Sanctis PP. militant pro perfectione obedientiæ, inter quos nemini secundus est Noster Parens S. Ignatius, docent, obediendum esse Superiori in omnibus, in quibus non elucet evidenter peccatum; atque adeo quoties oppositum non est evidens, inclinandum esse à voluntate intellectum in id, quod superior præcipit: ergo intellectus inclinari potest à voluntate in opinionem Superioris, quam putat minus probabilem, & propriam putat probabiliorē: ergo quoties evidentia non cogit intellectum ad unam partem contradictionis, supponitur ut indubitatum ab Affectibus, quod intellectus possit ab imperio voluntatis inclinari ad assentiendum parti minus probabili, nam potest cogi ad assensum cuiusque partis non evidētis. Ratio est; quia etiā una pars fit evidenter probabilior, adhuc tamen est incerta, & inevidens: ergo non cogitur intellectus ad ejus assensum; ergo potest à voluntate flecti in oppositum, ut constat ex iudicio temerario, ut bene P. Card. tom. 1. d. 15. a. n. 304. Accedit prudentissimum D. Ignatij monitum, ut videri potest apud P. Francisc. Garciam lib. 4. cap. 8. in quo refert monita, quæ S. Ignatius dedit P. Laynez ad Tridentinum Concilium destinato, ait enim: Si ea, quæ in disputatione vocantur, tuo consilio egeant, pacato animo tuam sententiam dic, salvo semper meliori iudicio; hæc enim, vel simili formulâ sententiam tuam concludere debes: & paulo post: Ne eas post novas opiniones, quæ inclinare videntur ad propositiones Hæreticorum, aut eorum, qui na-

vas affectant opiniones; & quamdiu Ecclesia neutram partem definiert, neutram affirmato cum adhesionē, quantumvis tibi valde probabilis videatur. Et paulo antè dixerat: In disputationibus, quæ contraherentur, adduc rationes, quæ pro utraque parte militent, ne videaris tua sententia valde addictus. Hæc S. P. Ignatius insigni Theologo, cujus tota summa ad hoc reducit, nè quis tenaciter adhæreat propriæ opinioni etsi sibi probabiliori; immò utriusque partis rationes trahendas, adeo ut tutum sit quamlibet sequi ex non definitis, dummodo rationi solidæ nitatur. Addo quod si voluntas potest inclinare intellectum ad peccatum, nempe ad hæresim, & iudicium temerarium, multo magis inclinare poterit ad bonum, nempe ad assensum prudentem, omisso prudentiori. Lege P. Suar. 1. 2. d. 10. P. Suar. sect. 1. & P. Card. tom. 3. d. 56. a. n. 360. Mihi satis est prudens monitum S. P. Ignatij vetantis Theologo cuicumque, esse in sua opinione tenacem: ergo tales vult suos esse Theologos, ut quamlibet possint sequi, etsi propria videretur probabilior.

§. II.

Rationes secundæ, & tertiæ conclusionis.

SUMMARIUM.

Etiā in questione facti potest intellectus à voluntate flecti in minus, aut eque probabile: rationes, n. 323.

Eadem Historia affirmata à centum, & negata à centum, est utrimque prudenter credibilis, n. 324.

Non ita duo contra duo; cur? n. 325.

Licet alteruter testis vagè sumptus mentiatur, non ideo tollitur omnino auctoritas, n. 326.

Aliud est, quod sit prudenter credibile Petrus occidisse Paulum; aliud, quod Index ductus testimonio probabili, immò probabiliori, possit jus dicere in Petrum; illud verum, hoc falsum, n. 327.

Rationes P. Card. cur intellectus in questione juris possit deponere dubium, non in questione facti, n. 328.

Nullitas earum, n. 329.

Unicè probat, quod Index non possit ferre sententiam, non autem, quod in questione facti, intellectus non possit assentiri eque, aut minus credibili, n. 330.

Rationes tertiæ conclusionis, n. 331.

Intellectus necessitatur ad iudicium evidens probabilitatis, aut probabilioritatis, non tamen ad probabilioritatem, n. 332.

Falsum, quod, quia pars B est minus verisimilis, sit minus vera, & magis falsa, & econtra, cur? n. 333.

Quod

QUOD autem etiam in quaestione facti possit intellectus à voluntate flecti, ut assentiatur parti æquæ, aut minus probabili, ut dixi in 2. *conclus.* contra P. Card. constat 1. quia hoc probant textus D. Thomæ, qui loquuntur de omni probabili; ergo si probabilitas sit circa jus, siue circa factum, eodem modo concludendum est. Constat 2. ex paritate iudicii temerarij, siue enim ex levi ratione iudicem Petrum mortem intulisse Paulo, (quod utique est factum) siue ex levi autoritate, peccabo semper temerario iudicio: ergo si in quaestione facti intellectus inclinari potest à voluntate in partem non probabilem, ut in iudicio temerario, quod Petrus Paulum occiderit; multo magis in partem verè, etsi minus probabilem. Demum hoc idem suadent alie rationes.

N. 324. Confirmo: quia licet daretur (quod tamen non do) quod in aliqua quaestione facti non posset intellectus assentiri uni motivo præ alio, stante æquali probabilitate obiectivâ; attamen, absolute loquendo, est universaliter falsum: nam de aliqua Historia, quæ utique factum est, stantibus centum Historiographis pro parte affirmativâ, & alijs centum pro negativâ, possum prudenter assentiri, quibus voluero, quia utraque pars est prudenter credibilis; nec uni enervat oppositorum autoritatem; & est prudenter credibile, quod centum affirmant, negantibus alijs centum; & quod centum negant, affirmantibus alijs centum; atque addo, dum me determino ad actum fidei humanæ propter affirmantes, moveri possum ab autoritate affirmantium; & à ratione reflexâ dictante esse prudenter credibile, quod centum affirmant contra centum negantes. E contra in casu, quo duo testes contradicentes stant, unus pro Petro occidente, alter pro non occidente; fortè in hoc casu non possum prudenter assentiri, quia utriusque autoritas est modica, & ideo non est prudenter credibile, quod unus affirmat contra alium negantem, sicut est prudenter credibile, quod centum affirmant contra alios centum. Dixi autoritatem utriusque esse modicam, & ideo fortè unius autoritas enervat aliam in ordine ad prudentem assensum; ex hoc autem non sequitur, quod tunc intellectus non possit alicui parti assentiri, sed unice sequitur, quod non possit prudenter; ergo imprudenter poterit; ergo absolute potest: in præsentem enim loquimur tantum de potentia physica intellectus ad assentiendum æquali, vel minori motivo; non autem, an tunc licet assentiretur. Addo negari etiam posse, quod in tali casu unius

autoritas enervet aliam in ordine ad prudentem assensum; dico enim adhuc esse prudenter credibilem, tam mortem, quam non mortem; & utrumque esse fide dignum; etsi enim vagè sciam aliquem mentiri, non ideo scientia de mendacio alterutrius testis tollit ab utroque autoritatem, sed tantum tollit, ne Iudex sententiam dicat, quatenus Iudici vetitum est, certam mortis sententiam ferre, nixus tantum testimonio probabili; immo, etsi niteretur testimonio probabili, idem Iudex prohiberetur, debet enim crimen esse saltem semiplene probatum. Quare aliud est, N. esse prudenter credibile, quod Petrus occiderit Paulum; aliud esse probabile, quod Iudex ductus tantum testimonio probabili unius testis, possit certam contra Petrum mortis sententiam ferre: primum do, alterum nego; quomodo enim Iudex certam contra Petrum mortis sententiam dicat nixus autoritati æquæ probabili de culpa, ac de non culpa Petri? immò etsi niteretur autoritati maiori, hoc non potest.

P. Card. Dices ex P. Card. *ll. cc.* quod una probatio æqualis elidit sibi æqualem; & ideo Iudex habens æqualem pro occisione, ac non occisione autoritatem, manet dubius. Idem ait evenire in casu matrimonij, in quo æquales probationes de morte, ac non morte alterius conjugis causant dubium. Idem in casu restitutionis, habens enim æqualem pro factâ, ac pro non factâ restitutione rationem, manet dubius. Confirmat *rom. 3. dist. 56. cap. N. 16. n. 813. & 815.* dicens intellectum in quaestione facti inter duos testes sibi æquales, & contradicentes manere necessarîo dubium, & non nisi temere assentiri alterutri; ut enim prudenter assentiatur, habere debet maiorem rationem pro una parte: & *n. 815.* ait, quod licet quaestio juris, & quaestio facti conveniant, quod intellectus itans inter motiva æqualia dubitet, attamen magnum inter eas est discrimen, quod intellectus inter duos æquales testes stans in quaestione facti, non habet modum, quo deponat dubium; at in quaestione juris, licet ab initio dubitet, habet modum, quo deponat dubium in ordine ad praxim; est autem iste, (ait *n. 816.*) ex imperio voluntatis intellectus inclinatus in partem A, solvit rationes contra partem A, adeoque manet sine impedimento, ut assentiatur parti A, nixus rationi partis A; atque adeo licet ab initio intellectus fuerit dubius, attamen solutâ oppositâ ratione, & nixus rationi faventi parti A, deponit dubium assentiendo parti A: licet ergo non sit maior ratio pro parte A, quam pro B ex parte intellectus, est tamen ex parte voluntatis

luntatis inclinantis ad partem A, præ B, & imperantis assensum partis A, præ B. Nec voluntas agit irrationabiliter inclinando intellectum ad A, præ B, hoc enim, inquit, negatur, & sine probatione asseritur, quod voluntas, ubi non est evidentia veri, non possit licite inclinare intellectum ad A; si enim physice potest, ut Contrarij concedunt, cur non moraliter, seu licite? Affigetur enim lex Divina, vel humana obligans voluntatem suspendere suam inclinationem in æquæ probabilibus: & n. 827. ait, hunc modum deponendi dubium non habere intellectum in questione facti, quando uterque dicit *vidi*, nam in questione juris, cum hæc nitatur discursui, & discursus discursu solvatur, intellectus habet modum, quo discursum, & rationes unius solvat. Hæc P. Card.

N. Sed contra 1. quia hæc omnia, vel probant intellectum neque in questione juris posse sequi æquæ probabile, & posse dubium deponere; vel probant posse in questione facti. Si enim voluntas, ut P. Card. arguit contra Mercor. & Baro, potest physice inclinare intellectum, infert contra illos, posse etiam moraliter, seu licite, cum nulla detur lex hoc vetans; ita ego dico contra P. Card. si voluntas potest physice in questione facti inclinare intellectum, ut assentiat, etiam temerè, ut ipse ait, cur non, ut assentiat prudenter? Contra 2. quia falsum est intellectum carere modo deponendi dubium in questione facti, ut enim in questione juris, solvendo rationes oppositas unius partis deponit dubium; ita à pari enervando auctoritatem unius deponet dubium in questione facti. Contra 3. quia sicut intellectus stans inter plures æqualis doctrinæ Doctores potest deponere dubium circa agenda, ut P. Card. concedit, cur non in ordine ad credenda? Contra 4. quia ego nec levem video disparitatem inter questionem juris, & facti; cur intellectus stante duplici æquali motivo possit determinari ad assensum unius præ alio in questione juris, non autem facti? Certè si decem Doctores omni exceptione maiores dicant mihi, concessum esse tale privilegium; & totidem, immò plures negent concessum, quæ opiniones sunt circa factum, possum sequi, quod placet. Quare bene ait P. Moya tom. 2. qu. 7. §. 4. quod omnia tradita à P. Carden. (nempe tom. 1. nam tertius nondum erat impressus) non probant, nisi quod Judex non possit ferre sententiam in favorem unius, damnando alium, quando testes, & rationes sunt æquales, quod certum est, quia in causâ dubiâ certam ferre

damnationis sententiam, peccatum est. Duo itaque P. Card. confundit; aliud est, quod stante æquali pro occasione, & non occasione, motivo, probatione, & testimonio, possit Judex ferre sententiam damnationis; hoc autem negatur; aliud, quod Judex non possit prudenter credere occisionem; hoc autem potest: neque C. de Lugo ab eo citatus ei faveret, quia de Lugo non probat, nisi quod in questione facti non possit Judex, stante æquali probatione pro non occisione, ferre sententiam mortis, quod certum est; non autem negat, quod Judex possit speculative, & prudenter judicare occisionem potius, quam non occisionem; potest enim: quapropter licet sit speculative probabile, Petrum esse homicidam, attamen non est practice probabile, quod in Petrum creditum probabiliter homicidam, certa mortis sententia dici possit, ut rectè P. Salas 1. 2. tit. 8. f. 4. n. 42. & de Lugo d. 16. de just. n. 100. C. de Ad alia dico eodem modo; nempe stante dubio facti speculativo, veritum esse Judici ferre sententiam, sed in Criminalibus reum non esse damnandum; in Civilibus rem esse dividendam, aut fortes mittendas, ut aiunt plures apud P. Moyam: non ita in alijs dubijs facti; dubitans enim, an votum emisserit, non tenetur implere, quia certa libertatis possessio vincit dubietatem voti, ut communiter DD. apud P. Sanch. tom. 1. Sum. lib. 1. cap. 10. a n. 34. ergo ex dubio facti orto ex contradictione testium æqualium, quoad Judices, non valet argumentum ad alia dubia facti speculativa non impediencia judicium practicum de licentiâ operationis, ait C. de Lugo l. c. & P. Moya tom. 2. qu. 7. n. 48. Immo si fusiùs contra P. Card. agere vellem, ostenderem ex allatis exemplis deduci oppositum, quatenus jura nobis favent, volunt enim in foro externo, quando testes sunt æquales, ferendam esse sententiam in favorem possidentis.

Tertia conclusio, quæ est contra P. Esparza, iisdem omnino argumentis probatur, quibus prima; nam hoc convincit S. Thomas loquens de omni probabili; hoc judicium temerarium, & peccatum infidelitatis, qui enim judicat temerè, cognoscit evidenter suum fundamentum esse levissimum, & oppositum esse evidenter probabilius: & qui credit oppositum ei, quod fides docet, cognoscit evidenter maiorem credibilitatem articuli veri, nam nostra mysteria, ut omnes TT. docent, sunt evidenter credibilia; & tamen credit oppositum: ergo à pari licet pars A appareat evidenter minus probabilis, & pars B evidenter magis probabilis, attamen hæc evidentiæ

N.

330.

C. de

Lugo.

P. Salas.

C. de

Lugo.

P. Moy.

P. Sanch.

C. de

Lugo.

N.

331.

P. Espar

S. Th.

evidentia probabilioritatis non impedit assensum circa minus probabile, quo modo evidentia credibilitatis non impedit assensum circa articulum falsum. Deinde retorquedo: Sicut ex eo, quod intellectus non possit non assentiri evidentiae de minori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri motivo minus probabilis ex eo, quod assentiatur reflexe evidentiae de maiori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri maiori probabilitati. Adde aliud esse evidentiam maiorem, aut minoris probabilitatis, aliud ipsam maiorem, aut minorem probabilitatem. Intellectus necessitatur quidem assentiri evidentiae maiorem, aut minoris probabilitatis, non tamen ipsi maiori, aut minori probabilitati; quapropter poterit intellectus ex voluntatis imperio assentiri parti minus probabili, nec necessitabitur assentiri probabiliori, licet haec sit evidenter probabilior; ut enim dixi, aliud est, quod intellectus necessario assentiatur evidentiae tam maiorem, quam minoris probabilitatis; aliud est, quod necessario teneatur assentiri ipsi maiori, aut minori probabilitati. Ratio est; quia non ex eo quod B est minus verosimile, est minus verum, seu magis falsum; nec ex eo quod A est magis verisimile, est magis verum, seu magis abest a falso: aliud enim est, quod quia verosimilius videatur magis distans a falso, & quia minus verosimile, videatur minus distans a falso; aliud, quod minus probabile minus distet a falso, & magis probabile magis distet. Primum est verum, secundum falsum. Demum doctrina P. Esparza tota in hoc fundatur, quod eo ipso, quod unum extremum sit evidenter probabilius, eo ipso ob hanc evidentiam ei oppositum non maneat probabile. Verum adhuc hoc concessio, ex hoc unice colligitur, quod tunc non potero licite sequi illud extremum, quia non manet amplius probabile; non autem quod absolute sequi non potero: quo modo Haereticus illicite sequitur articulum falsum, stante evidenti maiori credibilitate articuli oppositi veri, & nulla prudenti credibilitate articuli falsi, cui tamen adharet.

SECTIO V.

Referuntur, & refelluntur Adversariorum responsiones.

§. I.

Responsio M. Mercori.

SUMMARIUM.

Docet, hominem, cui mysteria fidei proponuntur

ut evidenter credibilia, non posse credere oppositum, n. 334.

Docet, omne evidenter credibile debere apparere certum, & credi non posse, nisi evidenter credibile, n. 335. 336.

Alia eius rationes, n. 337.

Docet, quod evidentia signorum necessitet intellectum ad actum fidei, adeoque non est liber libertate exercitij, sed tantum specificationis quoad modum, n. 338.

Docet, in his, quae intellectum non convincunt, liberum esse libertate exercitij, & specificationis, n. 339.

Docet, obedientem credere, esse certo verum, quod Praelatus jubet, n. 340.

Contradictiones M. Mercori, n. 341.

Evidentia credibilitatis requiritur, ut obiectum sit prudenter, non ut sit credibile, n. 342.

Minus credibile credi potest, n. 343.

Si intellectus non potest assentiri minus credibili, non dantur Infideles, & Haeretici, nisi materialiter, n. 344.

Non debet transiri ab eo, quod intellectus potest, ad id, quod debet, n. 345.

Quandonom intellectus teneatur ad credibilia, quando non? n. 346.

Adhuc non tenet paritas: in materia fidei teneatur ad credibilia, ergo in agibilibus ad probabilia, n. 347.

Sicut peccator, bonum, quod amat, non iudicat esse melius Deo, ita nec Haereticus fidem, quam sequitur, iudicat esse credibiliorum, n. 348.

Haereticus peccaret ad summum, dando locum passioni, non vero credendo falsum, n. 349.

Sicut contra alias virtutes, ita contra fidem, dupliciter peccatur, n. 350.

Prohibetur infidelitas positiva, adeoque est possibilis, n. 351.

Si Infidelis credere non potest minus credibile, Deus vetat credere magis credibile, n. 352.

Fides est saltem libera libertate exercitij, & idcirco pia affectio est necessaria: rationes, & Doctores, n. 353.

Judicium credibilitatis revelationis, quod est evidens, confundi non debet cum iudicio revelationis, quod est obscurum, n. 354.

Dicere fidem esse liberam ex hoc, vel illo motivo, est dicere scientiam esse liberam, n. 355.

Sicut aliarum virtutum actus sunt immediate liberi, ita fides, n. 356.

Libertas considerandi diversa motiva, impugnatur illis, quibus libertas praedeterminaturum, n. 357.

Talis libertas convenit scientiae, n. 358.

In subdito sepe repugnat hoc iudicium, quod jubet Praelatus est certum, aut verum, n. 359.

Magi-